

Antwort auf H. Wolffs Anmerck. über das Budd. Bedenken p. 46. sqq. Beuveis, daß das Budd. Bedenken noch feste stehe p. 91. sqq. negari quidem nequit, multis Philosophis visam fuisse possibilem mundi æternitatem: Bælius Dict. p. 2899. ad marginem n. (19) scribit: Notez que plusieurs grans Philosophes orthodoxes soutiennent, qu'une Créature peut être éternelle. Ast in gratiam Aristotelis, qui mundum actu æternum statuit, possibilem ejusdem æternitatem plerisque placuisse, haud obscurum est. Matthæus Hale, supremi tribunalis Regii Anglici quondam præses, im Ursprung der Welt und derer Menschen, spisso volumine, quod H. Schmettavius translatum in vernaculam nostram A. 1701. in 8v. Francof. & Lipsiæ edidit, quodque argumentum hoc uberrime & accuratissime tractat Sect. 1. c. 3. varias de æternitate Mundi sententias hoc ordine recenset: quosdam Mundum æternum h. e. sine initio statuere, quod plane negent Deum Atheismo crassissimo, quosdam quod a Deo productum negent, Atheismo Epicureo; alios, qui æternum Mundum a Deo tamen dependentem faciant, sententia tolerabili, quamvis falsa, dispescit, ut Deum vel ceu causam necessariam, vel ceu liberam æterni Mundi considerent: posteriorem Thomæ Anquinati, Suarezio aliisque tribuit, quod minimum possibilem hoc sensu Mundi æternitatem putaverint: hanc etiam Wolffius suam fecit. Priorem sententiam subdividit, ut ab aliis omnem divinam libertatem sublatam, ab aliis relictam, sed ex intra divinæ bonitatis necessitate derivatam Mundi æternitatem existimet. Tandem observat aliis materiam Mundi, aliis ipsum Mundum æternum videri. Singulas autem has sententias contradictionis & impossibilitatis confingere annitur. Thomas Aquinas in Summa Theol. P. I. quæst. 46. art. 2. Mundi initium demonstrari non posse docet 1) quia sit articulus fidei (purus, non mixtus, quod adjecto exemplo Trinitatis innuit) "id quod ex Symbolo Apostolico, Gregorio misere probat. 2) quia novitas mundi demonstrationem recipere nequit, nec ex parte ipsius mundi "id quod ita obscure deducere conatur, ut mendum adesse suspicer Critica manu tollendum) nec ex parte causæ agentis, quæ agit per voluntatem: Voluntas enim Dei ratione investigari non potest, nisi circa ea, quæ absolute necesse est Deum velle: Talia autem non sunt, quæ circa creaturas vult. Inverto: ex parte Mundi contradictionem involvit productum creatum, & tamen æternum, nunquam non fuisse. Ergo, quamvis voluntas Dei circa creaturas quoad positiva demonstrative cognosci nequeat, certum tamen est negative, Deum non voluisse æternitatem creaturum, quæ contradictoria est, & nequidem cogitari potest. Pergit Thomas: Et hoc utile est, ut consideretur ne forte aliquis, quod fidei est, demonstrare præsumens, rationes non necessarias inducat, quæ præbeant materiam irridendi infidelibus, existimantibus, nos propter hujusmodi rationes credere, quæ fidei sunt. Deinde octo rationibus Philosophicis contra æternitatem Mundi possibilem satisfacere conatur. Maxime hic conferri meretur Pauli Voëtii Theologia Nat. Reformata p. 209. sqq. ubi quæstionem tractat, an creatura sic possit esse ab æterno, ut in nullo anteriori durationis momento extiterit Deus æternus? refert inter Scholasticos si non omnibus, plerisque, inter Reformatos etiam nonnullis affirmativam sententiam placuisse, ipse negativam, quæ etiam communior sit inter Reformatos, defendit, quod repugnet ex parte